

Z 5  
P

Sum ex libris  
Davidis Christiani Pauli  
Regis Anhaltini  
Comparavit Servetio  
Anno 1503.  
conf. 5 1/2



31

*De*  
**ACTIONIBUS  
TURCARUM**

*Ex*  
**PRUDENTIA CIVILI  
SUCCINCTE**

*Disputabunt*

**CONRADUS SAMUEL  
SCHURZFLEISCH,**

*Et*  
**RESPONDENS  
BARTHOLOMEUS HILLIUS,**  
*Coslin, Pomeran.*

*D. XXVI. Mart.*

WITTEBERGÆ

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXX.



ACTIÖNIBUS  
TURCARUM

PRUDENTIA CIVILI

SUCCINCTE

EXPOSITA

CONRADUS SAMMEL

SCHURZELLEISCH

ET

RESPONDENS

BARTHOLOMÆUS HILLIUS

Colla. Formosa

DATA 1611

WITTENBERG

WITTENBERG

Typographus MATTHIUS HENCKELIUS

ANNO MDC LXXX



I.

**I**mperium Turcarum herile, si formam, hæreditarium, si succedendi jus, Osmanicum, si sanguinem æstimaveris. Nationem à Tartaris, Originem à Regibus, potentiam ab armis arcesso.

II.

Patientes hujus Imperii Barbari, Asiatici, multi ex Europæis. Ea parte pares, quod ut illi natura, ita hi sive calamitate, seu vitio & assuetudine in servitatem proni evaserint.

III.

Osmanidas idem erga suos amor, idem  
A 2 erga

erga Christianos odium copulat devincitque.  
Hinc ut crescendi illis, ita decrescendi aliis sup-  
peditata occasio est. Notandi hic veniunt  
Johannes Imperator Constantinopolitanus,  
Johannes Cantacuzenus, Georgius Despo-  
ta, alii.

#### IV.

Vastus iste & plurima per Africam, Asi-  
am & Europam regna complexus dominatus  
jamdudum sua laborasset mole, nisi potentiam  
miles, militem disciplina, disciplinam præsen-  
tissimus pœnæmetus firmasset. His adulta  
in Turcarum animis superstitio, eandem pœne  
vim ipsis, quam oleum igniddit.

#### V.

Non vacat eruere, quas dominandi artes  
Sultanus habeat domi. Sufficiat ostendisse,  
quibus dominationis instrumentis utatur fo-  
ris. Summatim dicam, quod sentio. Jus in  
injusto bello est. Dulce illi, lædere: læsus ipse  
nesci-

nescius est placandi. Nec modo non vult placari, sed ne audire quidem de honesta satisfactione. Indignum vero homine, indignum insuper hominum jure, indignum denique Sultano est, nolle reconciliari iis, qui resarcire damnum, restituere erepta, omni demum satisfacere modo poscenti satisfactionem volunt. Hanc vero tanto admittit æquius est, quanto malitiosior interpretatio poscentis. Quanto contra justius postulatum satisfacere volentis. Et peccatum tamen in eo genere nuper est. Appello Amurathem IV. Ibrahimum II. Quid mirum? Voluptas barbaris est, peccare. Modo utiliter sibi, perniciosè aliis peccent. Atqui vero id argumento est, natione magis, quam ratione barbaros esse. Si tamen id purgare barbariem potest, dolos reperire adversos juri, adversos honestati. Documenta tantinefas ut alii, ita Veneti potissimum loquuntur.

A 3

VI. Sed,



## VI.

Sed quia jus non suppetit, juri titulos præfert. Speciosos magis, quam ex solido. Ait sibi deberi regna, regiones, insulas, imperio aliorum obnoxias. Ait suam esse Corcyram. Ait suam esse Candiam. Ultramque Venetæ ditionis Insulam. Alteram invasit nuper. Hujus caput proximè in suam redegit potestatem. Omnia eo spectant, ut imperium obtineat maris, ut vexet rempubl. magis, ut immineat fortius ex propinquo. Etiamnum Suda, invictus Cretæ portus stomachum illi movet. Effusa in illum vis plus una vice. Furor magis, quam obsidio erat. Repressit tamen Veneta virtus furorem. Vindicavit portum, fremente Barbaro, fremente barbarorum globo. Hæc fortuna præfecto militiæ capite stetit.

## VII.

Detestor vero, detestantur mecum omnes Christiani hanc Turcæ dominationem.

Qvi



Qvi quicquid ex destructo Græcorum Impe-  
rio superest, arrogat sibi, invidet aliis. Su-  
premum maris mediterranei Dominium jam  
affectat solus. Per Corcyram, si liceat, ali-  
quando in Adriaticum quoque grassaturus.  
Hæc illa, si ita fas loqui, clavis. Hæc occludit  
Adriam & recludit. Hæc Imperii Adriatici  
robur atque firmamentum audit: est profecto.  
Id Tibi, Venete Ocelle lumen Urbium, Prin-  
ceps Rerumpublicarum, dico, Si cuiquam,  
tibi certe fortibus Provinciarum rectoribus,  
circumspectis Militiæ Curatoribus opus est.  
Hostis ad littora est. Hæc muni. Stabis, si  
munivisti. Præsentia retinere, gloriosum, a-  
missorum sufficit meminisse.

### VIII.

Sed neque Sicilia, nec Melite expers pe-  
riculi est. Sunt certe, qui credant, eo cunctis  
viribus nisurum Turcam, ut primo Melita:  
inde Sicilia, tum Sardinia, mox finitimæ di-  
tiones subigantur. Avertat Deus omen sub-  
ver-

vertat Dominationem. Si in tale eruptura  
nefas est. Provideas tempestatem, Melita.  
Elusisti Draguthi, infestissimi Piratæ impetum.  
Eludes quoque hodierni Achmetis, & omni-  
um successorum, si Johannis Valettæ decus  
verbis colas, factis imiteris: imò imiteris. I-  
dem Hispaniæ interest. Quin omnium Italiæ  
Principum. Pontificis ipsiusmet. Siciliæ al-  
terum Garfiam precor Vindicem. Huic Mu-  
staphas ludus, Solymanus umbra fuit. Sal-  
tem hic Venetæ prudentiæ exemplum addo.  
Hæc pacem hostis, inducias interpretatur.  
Adeo alte ejus animo conditam novit cupidi-  
nem dominandi.

### IX.

Jam sicut Turca ad invadendum, ita Chri-  
stiani ad depellendum vires, consilia, opes con-  
ferant. Agitur Dei causa, agitur Christiano-  
rum salus. Sed justitiæ quoque in eo dignitas  
versatur. Bellum non denunciare, iniquum.  
\* Legatos violare, impium. Frangere foedus,  
per-

*\* In his numero Soranzum & Grallium, quorum ille indigne  
habitus, hic strangulatus est.*

pervertere pactorum rationes , plane nefas.  
Nolle placari, non humani, sed bruti affectus  
est. Atqui nil horum Turcæ illibatum, nil  
inviolatum fuit. Mensuram, si quisquam ex  
proximis, implevit Ibraimus, animo ferox,  
moribus efferatus, dominatione intoleran-  
dus, tali demum exitu dignus, qualis vita fu-  
it. Struxit Ibraimo Nemesis laqueum. \*  
Quid si Achmeti globum rebellem? Aut e-  
nim fortasse Vezirius pravum denunciabit o-  
men, aut huic multorum parentandum san-  
gvine erit. Scilicet aluit Sultanus in sinu an-  
gvem. Sed ut iniquum Vezirii facinus, ita ju-  
sta Sultani ultio apparet, si apparet tamen.  
Surrexit Imperium Turcicum in Osmano,  
crevit in Amurathe I. Adolevit magis in Baja-  
zetho. Floruit in Mahometo II. Stetit  
in Solymanno. Utinam tandem diuturnæ  
felicitati modum, magnitudini finem ponat  
fortuna. Dignum hoc Domino fatum, di-  
gnus dominatione eventus foret.

\* *Liquet ex actis publicis.*

B

X. Mul-



Multa paucis exposui. Plura restant. Persequar eadem, quæ cœpi, brevitate. Auspicabor à bellis. Inter bella seligam Cretense. Hoc Amurathes IV. Venetis destinavit. Ibraimus II. intulit. Achmed II. finivit. Vetus id Turcæ consilium. Victa Rhodus, subacta olim Cyprus erat. Jam Candia sudes in oculis. Sive quod opportuna adipiscendo imperio maris, sive quod commoda situ esset. Magnam belli conflatur molem. Parum metuunt Veneti, Sultano, ut fallere solebat, amicitiam præfata. Sed latere non potest dolus. Erumpit tandem magno Venetorum malo. Petit Cretam primo. Tum occupat Canenam operibus validam. Inde ad Civitatem Retimo proficiscitur. Hac deditione accepta, vim omnem in Candiam, primariam Insulæ Urbem, convertit. Diuturna hujus obsidio magno Turcis & Venetis impendio stetit. Hæc multos Turcæ impetus

tus elusit. Hæc multos barbarorum con-  
sumsit. Donec magna grandium tormento-  
rumque vi quassata, malum defendentibus o-  
men, pejorem ominis redderet fidem. Hinc  
data prudentibus differendi occasio est. A-  
liis mirantibus, cur Turca bellum continua-  
verit præter morem. Aliis quærentibus,  
quæ causa fuerit continuandi. Scilicet vide-  
rat, salva Candia, minus tuta fore, quæ occu-  
passet. Tum mittenda ex longinquo Vene-  
tiis auxilia, quanto sumtuosiora ipsis, tanto  
magis in rem futura. Præterea illa ab exteris  
sæpe sollicitari magis, quam obtineri. His ve-  
ro rebus exhauriri Reip. ærarium, incidi ner-  
vum belli. Alebat audaciam, augebat mo-  
ram minor à Germano milite metus. Hic  
eo promptior ad juvandum, quo propius peri-  
culum abest. Remotiora tangunt parum,  
movent minus. Taceo alia non minoris  
momenti. Verum enim vero satis se prodi-  
dit dominatio Sultani. Succedent huic alia  
quædam dominatus instrumenta, artes, insti-



tuta. Literas meliores odit, ne effoemine-  
tur, jam ante has effoeminatissimus ipse, aut  
certe barbarus. Eo veteres Gotthones, &  
ut ævum erat, nondum excultos perperam i-  
mitatus. Latet verò hic avaritia, latet insu-  
per superstitio. Superstitione novum tegi-  
tur malum. Monumenta Arabum à Ma-  
gno duce Toscano missa repudiasse accepi-  
mus. Qvippe pecunias malebat, quam ve-  
teres Schedas. Sed & metuit ex litteris dissi-  
dia, dissidiis autoritatem sui Mahomedis per-  
verti posse providet. Et nuper ipse luculen-  
ta accipere præmia. Nil reddere præter an-  
tiqvam bibliothecam. Hoc avaritiæ, non  
laudis argumentum fuit. Tum non sinit, ut  
qui prælo operantur, Oracula Mahomedica  
exprimant. Non quia oderit officinas, ut  
interpretantur vulgo. Tolerat quippe vari-  
as officinas. Sed quod illud tenuis rei, & in-  
strumentum compescendis privatorum que-  
relis, motibus certe idoneum, interpretetur.  
Accipe Osmanidas ab uno ingenio omnes.

Re-



Religionem ex utilitate delegerunt sibi. Asia  
Egyptusque id probant satis. In qua parte  
iterum antiquos reddunt Gotthos. No-  
vum recitabo exemplum. Cum nuper Sul-  
tanus foederis rumpendi quæreret causas. Au-  
thor vafræ prudentiæ Ceremoniarum Anti-  
stes Santir, vulgo Mufti, erat. Non teneri  
foedere, ait, teneri lege ultionis. Nimirum  
honor Sacerdoti, quod ille ait, firmamentum  
potentiæ, titulus destinatis sumebatur. Sed  
non sola religio illi ludus. Literas, leges ri-  
det, aspernatur. Ego paulo inflexa Alphon-  
si Regis sententia, dicam, non hominis, sed  
bruti, sed barbari illam sententiam esse. Non  
reprehenderim, quod arma tractet. Modo  
tractet iuste, nec abutatur ad nefas. Quin,  
sequendi proditum putaverim exemplum,  
quod militem non facile eligat, nisi vetera-  
num, casibus exercitum & præliis insuper du-  
ratum. Quamquam nec velim celare, fæ-  
cem sæpe Asiæ, colluviem gentium, impedi-  
menta plurima, explere militiam magis, quam

B 3                      firma-



firmare. Robur alioquin Prætoriani, & Ca-  
taphracti milites audiunt. Sed de militia  
Turcica alias tempus erit, ut plenius agam.  
Hic desinam in pietate, optasse contentus, ut,  
quicquid infortunii hactenus sensit Christia-  
nus orbis, in exitium Turcæ vertatur; quin  
tandem antiquum Augusto nostro ab O-  
riente redeat decus, amissa Venetis  
restituatur.



*Ad Humanissimum*

**DN. RESPONDENTEM,**  
magnæ diligentiae Studiosum,  
Amicum meum.

**N**unc iterum Turcæ nobis mala multa mi-  
nantur,

*Christjanisq; Viris maxima bella movent.  
Hinc qui vis querit, quæ sit Respublica Turcæ,  
Et qui tot passim climata lata regat.*

*Hac*



*Hæc vice respondet pulchrè mihi pagina præsens,  
Et dextrè enodat plurima puncta mihi.  
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,  
Hunc etenim certè præmia magna manent.*

D. Michael VVendelerus, P. P.  
& p. t. Decanus.



**E**st genus. Pelta distingvit globos.  
Ad Polum tendit immanis furor.  
Hic Rhodi condidit Solem nube  
Ac jubar sustulit nox atrior!  
Tum Venus Cypridos præda subir.  
Virgo Dictæa Lucinam vocat.  
Gorgonis terror in tantum tonat!  
Ipse Neptunus horret compedes.  
Differes illa. Procedat labor!

*Explicat affectum*

**PRÆSES.**

**Vi-**



**V**iscera Soldani, cerebro sudante recludis,  
HILLI, quæ fugiunt pulpita docta  
Virum.

Quique vel Ipse forem nostris vult obdere  
tectis,

Ne fama accedat. Dignus honore satis.

Hiscæ Doctissimo Dn. Respondenti  
assurgebat

Gothofredus Græber/  
Lesnâ Pol.



**D**iscolor Osmanus Christianis bella cru-  
enta,

HILLIUS at Doctis, prælia docta parat.

Georgius Fleschius, S. P.  
L. L. Stud.



AB: 1540 9/7 41

ULB Halle

3

003 942 414




*Handwritten mark*

R

VD 77





301

*De*  
**ACTIONIBUS  
TURCARUM**

*Ex*  
PRUDENTIA CIVILI  
SUCCINCTE  
*Disputabunt*

CONRADUS SAMUEL  
SCHURZFLEISCH,

*Et*  
RESPONDENS  
BARTHOLOMEUS HILLIUS,  
Coslin, Pomeran.

*D. XXVI. Mart.*

WITTEBERGÆ

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXX.

